C. S. SCHVRZFLEISCHII,
Polyhistoris,

NOTITIA SCRIPTORVM
Librorumque uariiargumenti,

quam
ex
uariis ipsius praelectionibus,
in inclyta ad
ALBIM ACADEMIA
ingenti olim applausu,
habitis,
studiose diligenterque
collegit et edidit
I. C.

Pars II

Vittembergae, Sumptu editoris,
Anno cIↃ IↃ CC XXXVI

p. 2

Stephanus Vinandus Pigbius, Alberti, qui in Lutherum ſcripſit, eumque uehementer oppugnauit, nepos, uir doctrina, lectione et iudicio, clariſſimus, patriam habuit Campas in Tranſiſalania. Vid. Lud. Guicciardini Belgica Tranſiſal., p. 220. In hiſtoria Romana et antiquitatibus priſcis, lectionibuſque uariis et diuerſis Codicum, iudicioque earum, uir fuit incomparabilis, Hercules eius Prodicius Goldaſto diligenter lectus et laudatus, quem pari induſtria uerſauit Lambecius, Hiſtoriographus Caeſareus. Fuit autor et dux ſtudiorum Antonii Perenotti, Cardinalis, qui doctrina prudentiaque ſummum faſtigium potentiae aulicae eſt conſecutus. Graeca et Latina in fontibus, commentatores poetarum, Graecorum pariter, et Latinorum, euoluit, imagines, ſtatuas, nummos, gemmas, inſpexit, ut is et Andr. Schottus duumuiri ſane fuerint in antiquitate, nemini eruditorum ſecundi. De auo eius, Alberto, beatus parens meus, Ioannes, dicere ſolebat, Virum, aeuo ſuo, perquam doctum, ſententiis impium, fuiſſe, et de ſtylo doctorum noui foederis abiecte ſenſiſſe. Quod ex ſermonibus VVinckelmanni, Menzeri, Steuberi, Tonſoris, praeſtantiſſimorum tum, in Academia Marpurgenſi, doctorum, intellexerat, ut ſubinde mihi dixit, memor ſuorum, per quos ibi profecerat, praeceptorum, et in multis fortunae partibus cum Mitternachtio, doctiſſimo polyhiſtore, qui a ſacerdotio quodam Thuringiae, per calamitatem ſuperiorum temporum, ad ſcholam Cizenſem accitus, ſummam eruditionem demonſtrauit, comparandus. Nam

poſtquam, duobus annis, Vildungae concionatus eſſet, in aula Chriſtiani, Comitis, Valdecciae, muniaque eccleſiaſtica paſſim, intra et extra patriam, offerrentur, mutatis rationibus, cum aulae periculum inſtaret, nec multo poſt Comes hoſtis loco haberetur a Landgrauio Haſſo-Caſſellano, migrareque ex regione ſua cogeretur, et ſubſidium a Caeſare petere, ad Gymnaſium Corbacenſe accitus, bonas literas praeclare docuit, ſchediaſmata omnis generis, philoſophica et theologica, de Satiſfactione Chriſti, de Eccleſiae ueritate, aliiſque ad hiſtoriam eccleſiaſt. pertinentibus, argumentis, more inſtituroque eius loci, habuit et defendit. Cum ſeniori Goclenio familiariter fuit, a Tonſore honore Magiſtri ornatus, ſecundum inter competitores locum tenuit. Fridſlariae cum Ieſuita, VVolfio, doctiſſimo ſaepe collocutus, eccleſiae Pontificiae ſtatum dogmataque ex aduerſariis cognouit, et pleraque eam in rem manuſcripta reliquit. Cum aliquando Fridſlariam, ubi, in uicinia Geiſmaria, praedium auitum erat, profecturus, incideret in milites Catholicos, nominatim Hiſpanicos, tanquam haereticum, interfecturi erant, niſi Soliloquia Auguſtini ſecum habuiſſet, quae cum inueniſſent, dicentes, bonus eſt Catholicus, eum, non niſi praeſentiſſimi Numinis auxilio, dimiſerunt. Soſati literis operam dedit, indeque profectus, finitimas urbes inuiſit, Tremoniam, Coloniam, tum Hildeſiam, Helm-

Helmſtadium, perluſtrauit, ſenioremque Calixtum noſcere concupiuit. In doctrina, quam ab orthodoxis uiris, VVinckelmanno, Feurbornio, Steubero, hauſerat, conſtans, idemque ſemper et ſibi ſimilis, fuit, antiquitatis, praeſertim Romanae, iudice Ioanne, Cancellario, Vietore, peritiſſimus fuit. Huius et iure conſultorum conſuetudine iuriſprudentiam, quaſi uſu quodam et bonitate ingenii, didicerat, ut cum iure conſultis uerſaretur, tanquam iure conſultus, apud theologos theologum ſe demonſtraret. Vocatus Tonnam, in Haſſiam et alias regiones acquieſcere in praeſenti fortuna uoluit, cum uidiſſet maxima odia cleri Pontificii tyrannidemque, in ſeminario eruditionis pietatiſque permanſit. In ſenio Bergheimium ad Ederam elegerat metam ſtudiorum, ſed, Deo rem inſtitutumque moderante, ad ultimum in ſtatione ſcholaſtica manſit. Cum Hanenſeius, tribunus Caeſareus minaretur Corbaco, eum adiit cum ſuis collegis, habitoque ſermone graui, impetrauit, ut ſcholae parceret, ſaluamque cuſtodiam impertiretur. Argumento uſus fuerat, Alexandrum M. ſtirpi Pindari, Cyrum Sardibus, peperciſſe, ob literas, quarum ſumma ſemper ſanctitas ſecuritaſque inter bellum fuiſſet, hoc factum imitaretur, et ſibi innoxiis hoc daret, ut ſalui cum exiguis fortunis manere poſſent. Tu, inquit tribunus, adeo me placaſti, ut filios meos tibi erudiendos tradere uellem, quoad hic ero, ſi aedes tuae mihi uiciniores eſſent, concederentque

id rationes religionis. Abi igitur, nihil in te tuosque collegas, neque in urbem, hostile consuletur, aut statuetur. Cumque rerum Germanicarum non ignarus, et Albertum, Abbatem Stadensem, Cranziumque et Chytraeum, gentisque nostrae Chronica diligenter perlegisset, tum me subinde monebat de uetustate familiae nostratis, quae ultra CCCC annos, in agro Vildungensi consedisset, esseque ibi fundos et prata, quae, ultra aliquot secula, nomen a Schurzfleischiis tulerint. Hic Eckardi descriptio acidularum mihi est porrecta, in qua simile aliquid inueni, quod ipse praeclare mihi explicabat, adeo, ut Ioannes Conradus Dietericus dixerit mihi Giſſae, Tuus pater, uir prisca fide, et eruditione solida, semper mihi conciliatus est, ominorque, te, ubi pater desiit, longissime in curriculo laudis progressurum. Idem in publica panegyri, praesenti patre, Ioannes Vietor, Cancellarius, A. CIↃ IↃC LXV, pollicebatur, Pater tuus niues spargit, meritisque uenerationem aetatis addit, in te magnum Boxhornium Salmasiumque destinet et erudito orbi pollicetur. Hinc, cum me sacerdotio destinaret, priusquam de consilio Dieterici destinarit reipubl. literariae, Fabricius, Sacerdos Smilinghusanus, et illustriss. Georg Friderici, Comitis, Ecclesiastes aulicus, dixit, Filius tuus aliam regionem quaerit, cum Valdeccia non sufficiat. Non aliter Haxthusius, Consiliarius Cassellis, E patria egrediendum est, ut emergas, et Academiam ornes, orbique seruias. Ioannes Conradus

radus Bruggius, medicus Ieueranus, eodem animo menteque cum his uiris ſenſit, et Antonius Hagenbuſchius, quondam Giſſae Profeſſor et Polyhiſtor eximius, poſt Antiſtes eccleſiarum Valdeccenſium, pronuntiauit, multa omina ſibi data eſſe, quibus adductus ſit, ut ſentiat Ioannis filium lumen decuſque patriae, et ornamentum orbis, qua literis colitur, futurum. Ipſe theologus queſtus eſt, non ſibi placere; quod theologi ita ſe gerant, ut *αὐτονομίαν* uſurpare ſibi uideantur, quodque politici ea, quae Machiauellus de dominis et tyrannis ſcripſit, ipſi ad Principes tranſferant, nec tam conſeruandi et amplificandi, quam deſtruendi expilandique, artem uſu probent, Principibuſque abſolutum dominium perſuadere uelint. Hinc mala Germaniae promanare, affirmauit.

Haec ſcripſit Schurzfleiſchius, A. cIↃ IↃↃ LXXVII, cum emiſſet Pighi Annales.

Numa Sedulius, uero nomine, *Samuel Hundius*, ICtus, et politioris doctrinae facultatem praecipue conſecutus, ac peregrinatione uſuque confirmatus, rariores, in Italia, Gallia et Belgio, libros ſibi comparauit, deinde ſtudiorum moderator Ioannis Georgii III, Pr. Saxon. EL., delectus poſtremo Conſiliarius aulicus, quaedam opuſcula, nomine ſuo non indigna, emiſit, interdum uero, modeſtiae cauſa, nomen ſuppreſſit. Arctiſſimam cum Henrico Friſio, togatorum principe, ami-

 citiam

citiam iunxit et coluit. Bibliotheca, poſt mortem eius, auctioni ſubiecta ac uendita fuit. Edidit Innocentii X Bullam ac defenſionem Belgarum, contra Bullae illius receptionem, uaria item exterorum, de eadem Bulla iudicia, 1653, 4. Extant in minori forma quaedam eius opuſcula.

Hadrianus Iunius, Hornanus Batauus, antiquarius, poeta, philoſophus, medicus et Batauiae hiſtoricus, ſingularis uir induſtriae, et uariarum peritus linguarum, magnae pariter lectionis et exquiſitae eruditionis, multa ingenii monumenta edidit, quae a doctis leguntur et laudantur. Deceſſit, A. CIↃ IↃ LXXV, aet. LXIII. Epitaphium ei poſuit P. Iunius, filius, quod additum eſt Iani Douſae Elogiis, Lugd. B., 1576, editis. Animaduerſiones ſeparatim Baſil., 1556, edidit, et in Gruterianos libros uariarum lectionum, T. IIII Lampadis Criticae, relatae.

Franciſcus Iunius, Biturix, in uaria eruditione ſacra et profana, multam et ſingularem diligentiam comprobauit, dum Rob. Bellarminum in argumento, de Conciliis, docte caſtigauit, alia etiam et luculenta opuſcula reliquit. Animaduerſiones ad controuerſiam Bellarmini, de Conciliis, editae ſunt, 1602. Ingenuus eſt ſcriptor, et Flacium Illyricum, ubi poteſt, defendit, alioquin ab eo diſceſſionem facit.

Fran-

Franciſcus Iunius, Franc. filius, multiplici doctrina eruditum opus edidit, de Pictura uetterum, LL. III, quod locupletius, luculentius emendatiuſque, maiori nitore, prodiit Roterodami, 1694, f. Accedit Catalogus ineditorum pictorum, ſtatutariorum, etc., celeberrimorum.

Andreas Laurentius, Gallus, Ferrerii dominus, Henrici IIII, Gall. Regis, Archiater inſignis, et elegans naturae interpres, et humani corporis explanator, in Academia Montiſpeſſulani docuit, et primarius Medicus, ac titulo Cancellarii eiuſd. Acad. ornatus, multa et egregia monumenta edidit, maxime doctrinam, quae de corporis humani anatome inſcribitur, inſtaurauit in Gallia et illuſtrauit. Medicinam non prius fecit, quam nouo homine eam, in Collegio Montiſpeſſulanenſi, Medicis approbaſſet. Vid. Iac. Primoroſius, de Vulgi erroribus in Medicina, I, 2. Hiſtoria Anatomica Pariſiis, cum iconibus, 1610, de Mirabili ui ſtrumas ſanandi, ib., 1609, prod. OO. omnia anatomica Franco f. ad M., II TT. comprehenſa, edita. His aliquot libri ſubiunguntur, de Strumis ſanandis, de Morbo articulari, de Lepra, de Lue uenerea, 1627, f.

Ioannes Antonius uan der Linden, Medicus Batauus, in ueteri et noua medicina perinde uerſatus, Salmaſii amicus, et C. Hofmanni in Graeca eruditione aemulus. Lugduni B. et medendo, et ſcribendo, laudem multam ſibi comparauit.

De animae ſede minus recte tradidit, quam in corde eſſe uoluit, ac ueteres ſuffragio ſuo adiuuit. Hippocratem inquinate edidit, non autoris, ſed operarum, uitio, et ignauia correctorum, prod., 1665, 8.

Iacobus Lydius, Dordraci, in Batauis, ſacra dignitate functus, multum operae in antiquitate poſuit, et ex optimis quibuſque, apes imitatus, idonea et utilia ſelegit, nec tamen officii critici numeros omnes impleuit, theologis tamen ſufficere hic labor, non exquiſitis antiquariis, poteſt. Poſthumum eius opus, de Re militari, edidit Samon van Til Dordraci, 1698, 8.

Henricus Meibomius, ſcriptor grauis, cenſor accuratus, hiſtoricus probus, et magnus polyhiſtor, in quibuſdam tamen, ut homo fuit, non caruit naeuo, praeſertim in quibuſdam capitibus hiſtoriae ciuilis, de Henrico Aucupe, quem uocat Imperatorem. Sed et de eo doctiſſimus P. Lambecius pronuntiat, Rerum Hamb. L. I, Auct., p. 333, edidiſſe Chronicon Mindenſe, quod rationes plane falſas continet, ex Eginharto, Adamo Bremenſe et Helmoldo, corrigendas. Mirum uero, cur haec atque talia doctiſſimus nec annotauerit, neque caſtigauerit.

Hieronymus Mercurialis, eruditiſſimus Italiae medicus merito a Ioanne Rhodio dictus eſt, et uſu peritiſſimus Graeceque doctiſſimus, Galeno etiam, ut

ut omnes fere Italiae medici, addictiſſimus, quem et Hippocratem, diuinum ſenem, recte interpretatus eſt, neque artis Grammaticae ignarum ſe probauit, cum particulas, ne praetermittendas quidem, exemplo ſuo confirmarit. Itaque, praeter meritum, de eo exiſtimauit Ioſephus Scaliger, cum Graecae eruditionis eum expertem ſcriberet. Galenum et Ariſtotelem, diſſentientes, in ſpecie docte conciliat. Ariſtoteli autem uitium ingrati obiicit, quod, ne ſemel quidem, eius meminiſſet, per quem ſemel et iterum profeciſſet. Hippocrati denique, ſeni, haud obſcure obliuionem exprobrat, uitio aetatis contractam, quod ſane miror. Plerumque ſecutus eſt Iani Cornari interpretationem, ſed Hippocratem melius conuertit Anutius Foeſius. Opera eius edita ſunt partim Patauii, partim Bononiae, partim Venetiis, partim Forliuii, partim Francofurti et Baſileae, in f. et 4.

Dionyſius Petauius, Aurelianenſis Gallus, omnium, quotquot noſtra memoria uixerunt, Patrum Ignatianorum doctiſſimus, in omni doctrina liberali diligentiſſime uerſatus, philoſophus pariter, et philologus, accuratiſſimus, theologus, lectione maximus, iudicio acerrimus, aliquando autem affectibus indulgens, nominatim, in annotationibus ſuis ad Epiphanium, cuius dogmata theologica edita ſunt Antuerp., 1700, TT. VI.

Samuel Petitus, uaria uir eruditione, uiam rationemque interpretandi leges Atticas ingreſſus,

ſed labore eo minus accurate defunctus. Vera enim Iuris Attici ſubſidia ſibi non comparauit, neque tanto labori par fuit, in emendando plerumque infelix, uir ceteroquin eruditus, et inter Gallos, quos Hugonottas uocant, doctrina praecipuus. Multa ex eo deprompſit Salmaſius, et tamen de eo non praeclare exiſtimauit. Leges Atticae Pariſiis editae ſunt, 1635, f., Annotationes in Ioſephum nondum editae ſunt, reliqua OO., ut Eclogae Chronologicae, miſcellanea, in lucem prodierunt, in 4. In Copticis etiam aliquid conatus eſt, ſed neque hic eruditorum expectationi ſatisfecit.

Petrus Petitus, Doctor medicus, Pariſienſis, uir eruditus, tum quaedam in re medica, tum in antiquitatibus, opuſcula euulgauit, ob argumentum ſingulare et elegans, lectu digna. Inter haec extat opuſculum, de Furore poetico, Pariſ., 1683, 8, ed., cum ſelectis poematibus.

Matthaeus Praetorius, Sacerdos Nebuzenſis, deinde Praepoſitus VVeiherepolitanus, Ioannis III, Regis Polon., Hiſtoriographus. Vir diligens et hiſtoriae peritus, de Gothis Sarmatiſque, et eorum migrationibus, multa, nec indocte, tradidit, in quibuſdam arguitur, quod Regis Polonorumque gratiam captans, quaedam ſcriberet, ab ultimis Gothorum antiquitatibus aliena et merito ſuſpecta. Illud uero recte ab eo proditum eſt, quod Gothi quondam in Pruſſia conſederint, quamuis dicere non auſim, omnes uete-

res

res Gothos ex Pruſſia migrationes in alias terrae partes inſtituiſſe, quod tamen illi placet. Qua de cauſa Ioannes Peringſkioldus, Suecus, eum reprehendit, cuius extant Annotationes ad uitam Theodorici, Regis Oſtro-Gothorum, p. 453. Deſeruit quita ſacra, et ad coetum Romanum ſe contulit, eoque modo prouinciam Hiſtorici obtinuit hic ſcriptor. Inſcriptio libri eſt Orbis Gothicus, ed., 1688, Monaſt. Oliuae.

Godofredus Vilelmus Leibnitius, ut multa alia, praeſertim mathematica, edidit, ſic nuper etiam, de Arte combinandi, aliquid commentatus eſt, quod eiuſmodi eſt, ut prodeſſe poſſit illis maxime, qui rerum cauſas accuratius pernoſcere ſtudent, et ratione uiaque inueſtigandi mathematica utuntur. Subtiliſſimi eſt ingenii uir, in doctrina numerandi recondita, quam Algebram uocant, et, de motu in primis, multa ſelecta tradidit nuper.

Ioſephus Scaliger, eruditorum princeps, in Epiſtolis, quas Aubrii collectas edidit, multa uiros doctiſſimos, quae ignorarunt, praeclare docuit, nec tam ſtyli ratione, quam uariae eruditionis, cauſa ſcripſit. Multa paſſim admonuit, quae ante eum, uelut in caligine, latuerunt, maxime in Orientalium ſcriptorum notitia, pleraque antea obſcura, aperuit, atque huius doctrinae partem magnopere adiuuit atque illuſtrauit. Ed. Francof., 1628, 8.

Ioannes

Ioannes Sartorius, Amſtelodamenſis Batauus, XVI ſeculo, inter literatos Belgii floruit, et rei Grammaticae peritus fuit. Inter cetera eius extant Adagiorum Chiliades III, quas in lucem edidit Corn. Schreuelius, Lugd. B., 1656, 8. Obiit, A. CIↃIↃLXVI.

Iacobus Vſſerius, Dublinienſis Hibernus, inſulae illius Archiepiſcopus et Primas, multae lectionis uir et exquiſitae eruditionis, uaria, et ad antiquitatem pertinentia, ſcripſit, inter quae non praetereunda, exiſtimo opuſcula duo, alterum, de Epiſcoporum et Metropolitanorum origine, alterum, de Aſia proconſulari, Londini, 1687, 8, prod. Addita eſt appendix, de Eccleſiae Britannicae libertate.

Bohuſlaus Balbinus, exſodalitate fratrum Ignatianorum, in hiſtoria Boiemica, gnauiter ſe exercuit, et uetera eius regni monumenta diligenter excuſſit. Epitomen rerum Boiemicarum fecit, atque hiſtoriam omnium familiarum Boiemicarum meditatus eſt, quae ad origines ſane familiarum Saxonicarum exquirendas, perutilis futura fuiſſet, ſed nondum ea prodiit. Scripſit etiam Miſcellanea hiſtoriae regni Boiemici, alia quaedam ad artem dicendi pertinent, ut Veriſimilia humana. Extat quoque eius Meliſſaeum. In Boiemos ſuos aequior eſt, quam in Germanos, praeterea acerbus in Proteſtantes. In rebus Boiemicis multa ſingularia annotauit. Vitam Arneſti edidit, quam

ſaepe

ſaepe in Epitome ſua citat. De libro Torneamentorum non recte iudicauit.

Nicolaus Cauſinus, Trecenſis Gallus, Ignatiani ordinis Pater, in humanitatis pariter, atque antiquitatis, ſtudio elaborauit. Vir doctrinae atque eruditionis laude inſignis, praeter alia ingenii monumenta, in lucem emiſſa, denuo Horum Apollinem edidit, autorem in Aegypto natum, qui Aegyptiaca lingua ſcripſit, ſed in Graecum ſermonem conuerſus, deperdita eius gentis lingua, in riuulis adhuc extat. Magiſter fuit ſapientiae ueteris Hieroglyphicae, et Niliacus, ab urbe Nilo, quae naſcentem excepit, appellatus eſt, et ſemel iterumque editus. De Cauſino uid. Alegambe. De Horo Apolline legendi ſunt Suidas et alii, nouiſſime Cauſinus. Ed. Aug. Vindel., 1595, 4, a Dauide Hoeſchelio, cum notis Ioannis Merceri, Pariſiis, 1619, 4, et, 1647, a Nic. Cauſino, quae optima, edit., cum obſeruationibus. Idem eſt Horus, qui Apollo.

Hermannus Conringius, medicus et philoſophus, noſtra memoria, doctiſſimus, et hiſtoriae, in primis Germanicae, intelligentiſſimus, ſed in Chronologia minus feliciter uerſatus, uel in eo maxime capite, quod autoritatem Canonis Nabonaſſaraei, conuellere conatus eſt, quem merito plurimi fecit Ioannes Bainbridge, uir eruditus, qui Canonem, a Ptolemaeo profectum, putat. Aduerſaria Chronologica Helmſt., 1648, ſpeciatim, c. 12, a Graeuio nuper ed.

Nicolaus

Nicolaus Cabaeus, Ferrarienſis, Ignatianae uit. ſodalitatis, poſt Gilbertum, de Magnete, ſcripſit, et rationibus atque experimentis illud ſingularis induſtriae argumentum comprobauit. Interdum a Gilberto diſſentit, nominatim, in capite, de Terrae ui magnetica, et, propter hanc grauium deſcenſu, I, 19. Idem notat Hieron. Fracaſtorium, I, 2, ed., 1629, f. min.

Scribonius Largus, imperantibus Tiberio et Claudio, ſcripſit, Latine quidem, ſed Latinitate Celſo inferior. Multa enim minus Latina ei addita admixtaque eſſe, iure ſuſpicor, quem alii et medicae artis alioquin inſigniter periti, et ipſe etiam, quod miror, Ianus Cornarus, Medicus Graece doctiſſimus, Graeca lingua ſcripſiſſe, arbitratur. Scripſit autem, de Compoſitione medicinae, et primum in Gallia, a Ioanne Ruelio ed., deinde ab Henr. Stephano in lucem emiſſus, nouiſſime in Gallia recuſus. Optima et uſui aptiſſima eſt editio Ioannis Rhodii, Dani, cui acceſſit Lexicon Scribonianum, eius induſtria confectum. Ed. Batau., 1655.

Chriſtophorus Colerus, Francus, Heilbrunnenſis Gymnaſii alumnus, et Frid. Taubmanni condiſcipulus, in arte critica diligenter uerſatus, Salluſtium, Tacitum, excuſſit notiſque auxit. Ad hunc non inutile ſpicilegium edidit, quin et Martialem ſcholis non ſpernendis locupletauit.

Carolus

Carolus Dufrenius, uir aeui medii, et utriusque Latinitatis et Graecitatis insigniter peritus, multo labore et industria Glossarium edidit, quo nullum antehac locupletius exiit, in plerisque tamen non satis feliciter se expediuit, nominatim in uocabulo Incoma, Appendice ad Gloss. mediae Latinitatis, p. 115. Ed. eius Glossarii nouissima Francof. in lucem prodiit, 1681, f. Appendix autem Lugd., 1688, quae omnino est comparanda, et cum Glossario componenda.

Gerardus Feltmannus, ICtus Frisius, et in Academ Groningensi iuris Antecessor, cum arte sua antiquitatis studia iunxit, et ex his fontibus multa utiliter hausit, et, post uaria, quae edidit, nouissime consignauit literis et emisit aliquid, ab amoeniore ingenio profectum, quod morbo articulari conflictantibus leuamento sit, et iucunde legatur. Liber est singularis, de Podágra inscriptus, Bremae, 1693, 8, editus. Multae ibi et bellae narrationes extant, ingenii sale conditae, quas eo diligentius in hunc librum retulit, quo magis dolore suo uim eius morbi est autor ille expertus. Locum Celsi exposuit, et Plinii atque Columellae testimoniis quaedam confirmauit, c. 32, p. 179. De nomine Podagrae, c. 1, et morbi articularis, c. 9, agit. Exempla iucunda, et ad iocos pertinentia, de Zaare et Henrico IIII in primis, affert.

Herodotus, patria Halicarnasseus, parens historiae, et primus in oratione prosa scriptor, dul-

cedine

cedine dictionis Ionicae insigniuit historiam et condidit, sed numeris eam non concluſit, sententiis tamen grauioribus, et ad omnem uitae partem utilibus, temperauit. Maxime diligentiam probauit in Persicis, quanquam et in his alii coniungendi et idonee adhibendi. Ceterae pleraeque narrationes dubiae, ac suspectae et fabulosae, quas tamen non confinxit temere, sed cum externa scrutaretur, tempusque in peregrinatione consumeret, ab aliis accepit, neque id dissimulauit, sed ingenue confessus est. Sed de eius fama detraxit Plutarchus, iniquiore tamen iudicio, quod res ipsa docet et hunc refellit. Quicquid autem huius sit, scriptor omnino grauis et diligens est, uereque Ionicarum amor deliciarum. Sed codex multis in locis mendosus, interpretatio Vallae non optima et persaepe uitiosa, a nemine autem hactenus melior concinnata. Edd., Aldina, 1502, Basil., 1557, Paris., 1570, et 1592, Francof., 1608, Londin., 1679.

Theodoretus, patria Antiochenus, Chrysostomi, Antiocheni, discipulus, cuius industriam in scribendi genere imitatus est. Cyri Antistes magna eruditionis fama floruit, et in dicendi atque interpretandi arte, quicquid in ipso facultatis esset, luculenter demonstrauit, in historia quid posset, scribendo ostendit. Cum Nestorio amicitiam habuit, ob eamque caussam inuidiam sibi et calamitatem conflauit, ut decreto, Concilii Chalcedonensis, loco moueretur. Errores quidem

tanto

ranto uiro condonandi ſunt, ut aliis Patribus. Vid. de eo Ioannes Garnerius, qui T. V eius OO. edidit, Pariſiis, 1684. OO. ipſius omnia prodierunt cura Iac. Sirmondi, ſed interpretatio multis modis laborat, quod ille linguae Graecae minus peritus eſſet.

Ioannes Roſinus, Iſenacenſis Thuringus, multa uir diligentia, in euoluendis et excerpendis Roman. ſcriptoribus, ſed minore interdum iudicio, quam antiquarium decebat. Ratiſbonenſis Gymn. aliquandiu Prorector fuit, ad genus hoc ſtudii naturae quodam impetu incitatus, neque ab eo auocatus eſt, cum ſacro munere fungeretur. Inde enim accitus in Thuringiam, Vickerſtadii ſacris praefuit, poſtea commendatus a Friderico Vilelmo, Saxon. Adminiſtratore, et uocatus Numburgum, in templo urbis primario, quod *Cathedrale* uocant, Sacerdotis partes ſuſcepit, multamque curam in rebus diuinis oſtendit, neque tamen ſtudia antiquitatis intermiſit. A. CIↃIↃCXXVI, fato functus. Vid. Oratio, de Vita Nicol. Galli, Ratiſbonenſium ſacris praefecti, et ſepultura memorabilis Io. Roſini, a Ioanne Georg. Fiſchero, Numb. edita. Variae extant edd. Simpliciſſima eſt in forma mai. ord. edita, deinde a Th. Dempſtero notis aucta, tum ab Andr. Schotto recenſita, 1645. Optima eſt nouiſſima, in Batauis edita.

Georgius Hieronymus VVelſchius, Auguſtanus, philoſophus et artis medicae Doctor, uariarum

peritus

peritus linguarum, in primis Arabicae, qua omnibus aetatis suae medicis praestabat, ex Arabumque monumentis plurima ad utilitatem et ornamenta doctrinae transferebat. Multa huius rei specimina ab eo edita sunt, quae non tantum a medicis, sed etiam ab eruditis plerisque omnibus, sermone celebrantur. Multum temporis in peregrinatione consumpsit, et in Italia diu uersatus est, clarumque nomen trans Alpes effecit. Opera eius in medendo magni fuit, et Vindelici hunc ciuem honore prosecuti sunt, meritoque inter scientiae salutaris principes numerarunt. Opera eius, Dissert., de Aegragopilis, Aug. Vind., 1660, Epistolae mutuae Argonautae ad Nestorem, et Nestoris ad Argonautam, ibid., 1667, 4, Dissert., de Abortu, ib.

Andreas Senftlebius, Bolesslauia Silesius, amoeni uir ingenii, literisque culti, cum adoleuit, ita rationes studiorum constitutas habuit, ut ad iurisprudentiam se conferret, et Vratislauiae, confecto laboris Academici cursu, iura experiretur, et clientes patrocinio ornaret, tempus nihilo minus succisiuum literis et antiquitatibus reseruaret. E uita, in uitae flore, excessit Vratislauiae, A. CIↃIↃCXLII. Opuscula eius Lips. prodierunt, Saturnalitiae nuces, 1641, 8.

Olaus Borrichius, natione Cimber, ciuitate et domicilio Danus, dura primum fortuna usus, et, tenui stipendio, ut in uulgari schola doceret, conductus, postea mutauit conditionem, et Gersdorfio,

fio, iuniori, comes uiae additus, multa ſibi ad medicinam et humaniores literas, atque etiam ad antiquitates Rom., propius accuratiuſque cognoſcendas, adiumenta comparauit, et reuerſus, conciliatis procerum animis, Hafnienſis Academiae doctor publicus medicae artis eſt conſtitutus. Nomen deinde illuſtrauit editis quibuſdam opuſculis, nec minus antiquarium et hiſtoricum, quam medicum, ſe probauit, multamque arte medendi pecuniam collegit, quam inſtituendo ſumptibus ſuis Collegio impendit, quod Medicaeum appellari uoluit, non Borrichianum, forte uitandae inuidiae cauſa. Scripſit non inutiliter, de antiquae urbis Romae facie, quem librum Graeuius nuper in Theſaurum retulit et denuo emiſit. Ed. Hafniae, 1687, 4.

Anna, Tanaquilli Fabri filia, paternae eruditionis aemula, ad ornanda literaturae ſtudia animum adiecit, et Callimachum Cyrenaeum notis illuſtrauit, quaedam obſeruatu ſingularia addidit, interdum, nec ſine cauſa, ab Henr. Stephano diſceſſit. Scholiaſten quoque cum poeta illo antiquiſſimo coniunxit, ed. Pariſ., 1675, 12.

Ren. Carteſii libellus, de Paſſionibus, Gallice ab eo ſcriptus, deinde etiam in Latinam conuerſus, magni paſſim a doctis aeſtimatur, utiliterque lectus, ſed in eo autor iſte lapſus, quod omnes paſſionum motus ad pineam glandem retulit, eoque iudicio prodidit, ſe anatomiae imperitum.

Speculum ſtatus, liber hic diſquiſitiones, ex hiſtoria ciuili ſumptas, continet, et modum moremque Boxhornii in hoc ſcribendi genere ſeruat, caſum proponit primum, deinde ſententiam, tum decretum ac iudicium, ſubiungit. Bene quidem id facit, ſed nec ſcite ſatis ſcribit, nec hiſtoriae ciuili, ſi elegantiam conſidero, conuenienter, plerumque Italos ſoloeciſſantes, aut peregrino genere loquendi utentes, ſequitur, interdum de Grammatica dicendi regula deflexit, p. 530. Ed. Lipſ., 1698.

Pandectae iuris Florentiae aſſeruantur, quae et autoritate, et antiquitate, omnibus etiam iuris uoluminibus praeſtant, antea in oppido Amalphi repertae, deinde Piſas, A. CIↃCXXXVII, hinc, A. CIↃ CCCC LXIIII, Florentiam, delatae, ubi etiam nunc cuſtodiuntur. Ex MS. Pandectas edidit expreſſitque Franc. Taurellus, 1553. De his legendus Albericus Gentilis, de Ratione legendi Pandectas, Anton. Auguſtinus et Iac. Cuiacius. Conf. Edm. Merillius, in Variantibus, I, 13, ſqq.

Baſilica ſunt libri iuris Graece conſcripti, qui continent leges, ab Imperatoribus latas, ſeu promulgatas, eura et autoritate Leonis, Imperatoris Conſtantinopolitani, cognomine Philoſophi, diu poſt Codicem Theodoſianum, ſeculo a natali Seruatoris IX. Recentior eſt Graeciſmus, et a ueteri Graecia longius aberat, Romanas leges, earumque interpretationem ornant et ſaepe adiuuant,

ant, nuper a Fabrotto edita, luculenta ſane operis forma. Vid. de hoc opere ipſe Fabrottus, et ante Iac. Cuiacius, Obſeruationum, VI, 9.

Dionyſius Longinus, rhetor Graecus, uir multa doctrina et magna autoritate apud Zenobiam, uirilis animi feminam, quae in Palmyrenis regnauit. Porphyrium docuit et politiori literatura inſignis fuit, quo nomine paſſim, ab ipſo etiam Plotino laudatur, ab aliis philoſophus dicitur, ſumpto laxius nomine, pro philologo, et uariis egregiiſque doctrinis erudito. Vid. Suidas et Vopiſcus, Porphyrius, in uita Plautini. Editiones uariae ſunt, nouiſſima in Italia editio eſt Bonon., 1644, 4. Liber eius extat, de Sublimi genere dicendi.

Robertus Conſtantinus, Gallus, uir eruditus et in Graecis Latiniſque literis exercitatiſſimus, I. C. Scaligero familiariſſimus, cuius extat Supplementum linguae Latinae, 1537, 4, ed., de quo extat iudicium I. Scaligeri, Epiſt. L. I, p. 95. Extat eiuſdem Lexicon Graeco-Latinum, cuius editio ſecunda eſt optima ac locupletiſſima. Prior, quae, 1562, in lucem exiit, merito illi eſt poſthabenda, dicitur Criſpiniana. Adiumenta eius peti debent ex Gloſſariis, ab Henr. Stephano, Bonauentura Vulcanio et C. Labbeo, editis, Lutetiae, 1579. Haec Gloſſaria laudantur nomine Cyrilli et Philoponi, eoque ſpectat Lexicon La-

Petrus Lambecius, Hamburgenſis, uir plurimae lectionis, et rei in primis literariae peritiſſimus, ſed Luca Holſtenio inferior, cui magnam eruditionis partem retulit acceptam. Prodromum, magnum aliquod opus, ſed quod unius hominis aetas non caperet, promiſit. Vir admodum laborioſus, atque in Biblioth. Vindobonenſi ſedulus, opus illud, quod molitus eſt, imperfectum reliquit. Priuatam Biblioth. Caeſari Auguſto uendidit, in qua erant plerique Codices, L. Holſtenii manu deſcripti. In Gallia aduerſarium habuit Combefiſium. Extat in primis eius Diarium ſacri itineris Cellenſis, quod Leopoldus, A. CIↃIↃLXXI, ſuſcepit.

Ioannes Clericus, multae uir diligentiae, interuaria, quae edidit, proxime Harmoniam, ut uocat, Euangelicam emiſit, et ceteris omnibus, quae prodierunt, propter ordinem temporum et uerborum, rerumque, quae Chriſti conciones et Euangeliſtarum narrationes continent, accurationem, nexum ac tractandi modum, reiectis longioribus et ieiunis ſuperiorum temporum commentariis, quos, more ſuo, ut omnia fere ueterum Patrum ſcripta, contemnit. Nuper in Noricis recudendam curauit Langius, D. theologus Altorfinus. In Chronologia rationes Petauianas ſequitur, pro quibus ego Scaligerianas malim. Subiecit diſſertationem, de Annis Chriſti, et diſſertt. duas, in quarum una canones Harmonici, in altera autores Euangeliorum, continentur.

His ſubiunguntur paruae notae in aliquot loca Harmoniae Euangelicae, ed. Amſtel. 1699.

Thomas Smith, Anglus, Preſbyter et Collegii D. Mariae Magdalenae, quod Oxonii eſt, Socius. Fama Orientis propius cognoſcendi commotus, multum temporis in peregrinatione conſumpſit, et Aſiam minorem Graeciamque obiit, nec magis oculis, quam animo, res rituſque illarum gentium contemplatus eſt, confectoque diario, accurate, quae uidit paſſim annotauit. Marmorum rudera quaedam aſpexit, Smyrnam eiuſque ſinum percurrit. Phrygiam finitimaſque regiones peruagatus eſt, et nullum diligentiae locum praetermiſit, ueſtigia locorum ueterum animo et cogitatione deſignauit, cum Graecis Turciſque diu uerſatus eſt, iſtorum in Chriſtianos odium, exemplo ſuo teſtatum fecit. Nec uero imparatus et rudis ad peregrinandum acceſſit, ſed, quod praecipue ad Graecos attinet, Liturgias et Eulogia eorum diu ante perlegit euoluitque, linguae pariter Graecae etiam hodiernae, et Arabicae, peritus ſcriptor.

Ioannes Harduinus, Gallus, e Societate Ieſu doctiſſimus, et in omni antiquitate exercitatiſſimus, Graecis Latiniſque doctrinis expolitus, nuper Themiſtium, a Petauio editum, luculentius edidit, et pluribus Orationibus adauxit, notaſque haud inutiles adiecit. Ed. Pariſiis, 1684, f.

Fri-

Friderici Taubmanni iocoſe dicta, et amoenum autoris ingenium, et in facetiis quoque ſapientiam, oſtendunt, pleraque tamen ei, quae ab aliis profecta ſunt, tribuuntur, ut uerſus, de ganza, diu ante Taubmannum facti. In tot talibuſque ſalibus etiam probus uir et grauis fuit, quod eius ſententiae et uitae rationes confirmant. Ex Diſſertatione Taubmanni, de Lingua Lat., p. 130, ſq., ea repetit Frid. Rappoltus, in Comment. in Horatium,, p. 1286.

Fortunatus Licetus, patria Genuenſis, philoſophus, medicus, antiquarius, eruditus, in Gymn. Patauino artis medicae doctor publicus, operam in primis atque diligentiam probauit in opere, de Lucernis antiquorum reconditis, 1662, f. Alia ab eo profecta non minori induſtriae laude, de Gemmis annularibus, Vtini, 1654, 4, et, 1653, f., Patauii, et reliqua, quae recenſuerunt uan der Linden, et Halleruordius. Conf. Catalogus Tellerianus. Vid. Actuarium eius, c. 140, ex Nicol. Tulpio. Conf. Kircherus, ubi agit de Sirenibus, C. Schotrus, in Itinere Ecſtatico.

Iacobus Perizonius, antehac Franequeranus, nunc Lugdunenſis Bat., Profeſſor, ſuperiori anno, Aelianum edidit, notiſque locupletauit, quae ſtomachum mouerunt Iac. Gronouio, quod in pleriſque ab autoritate Codicum diſceſſerit, notaſque, ſine inſigni utilitate, cumulauerit. Ex eo liquet, alterum bonum eſſe technicum, alterum

magis criticum, et ſubſidiis, ad eam doctrinam neceſſariis, inſtructiorem, plures etiam uidiſſe et exſtiſſe Bibliothecas, et libros ueteres, tum ſchedis Ioannis Friderici, patris, inſigniter adiutum. Cum Iſaaco Voſſio, Raph. Fabretto, controuerſiam duxit, cum illo, propter Liuianas quaſdam interpretationes, cum hoc, propter Pallocapum Ariani, denique cum Perizonio, propter explanationem Aeliani, ſigillatim, propter uerbum ἀπάγχεσθαι, quod in ueteri Graecia, praeſertim in oratione ſoluta et uſu hiſtoricorum, ſigillatim, in Aoriſto I indic. proprie, et, ſine loquendi figura, ſignificat laqueo, in collum inſerto, ſibi conſciſcere neçem, aut gula, laqueo fracta, uim ſibi inferre, non ergo ſignificat, dolore aegretudineque confectum mori. Vid. locus Aeliani, V, 8.

Poetae Medici haud inſciti extitetunt, et Latini in eo induſtria genere Graecos imitati ſunt, quorum carmina ſeruauit nobis atque in libros ſuos retulit Galenus, uir omni doctrina perpolitus, et ad explanandum Hippocratem natus. Inter Latinos Q. Serenus Sammonicus, tertio poſt Chriſtum natum ſeculo, floruit, et carmen, de Remediis morborum, conſcripſit, quod ſaepe editum fuit, atque a Gabriele Humelbergio commentario eſt illuſtratum, Tiguri, apud Heluetios, 1540. Nouiſſime illud edidit Robertus Keuchenius, ſed, quod miror, Humelbergii commentarium non uidit. Non magni momenti eſt editio

editio Lipſienſis, a Riuino adornata, omnium, quas ſciam, antiquiſſima eſt Aldina. Keuchenius libro ueteri, et aui ſchedis, adiutus eſt. Notae eius praecipue ad philologiam ſpectant, induſtriamque autoris confirmant. Veteres medicos euoluit, Dioſcoridem, Galenum, Aeginetam, Trallianum, Celſum, Plinium, Marcellum, Empiricum, tum ueteres Grammaticos, Feſtum, Nonnium, uocabulorum commentarios et gloſſas, ſpeciatim mediças, quae uulgo negliguntur. Sammonici mentio eſt apud Ael. Spartianum, in Antonio Caracalla, c. 4, et in Geta, c. 5. Nec uero confundendi ſunt Q. et A. Samonicus. Alter enim pater, alter filius, idemque poeta Lyricus, fuit, quod recte commonuit Keuchenius, p. m. 74. Sec. XVI, Franc. Duportius animum adiecit ad artem mediçam et Hippocratem redegit in poematis leges, et aliquando poſt IIII libros, de ſignis morborum, conſcriptos, Latinis uerſibus expreſſit, alter Galliae Sammonicus iure appellandus, qui fuit medicus, cum uiueret, Pariſienſis. Ed. Keuchenii, Amſtel., 1662, 8.

Ioannes Nieſſus, pater Ignatianus, et rhetor in Gymn. Euſtadiano, literas politiores docuit, et, de ortu atque occaſu linguae Latinae, deque eiuſdem inſtaurandae modo, ſcripſit, tum, de imitandi ratione, tradidit, et, utilitatis cauſa, in lucem emiſit, noua in ciuitatem Latinam recipienda putauit, maxime, propter res ſacras, ut paſſionem, poenitentiam, ſacramentum. Sed

ego

ego fines artium et officia ſcribentium diſcerno, ut Latinitas integra illibataque ſeruetur. Ed. Dillingiana, 1627, 12, eiuſd. Alphabetum Chriſti et diaboli, ib., ed. nouiſſ. et ſexta Amſtel. 1627, 12.

Phurnutus, inter ſcriptores mythicos haud poſtremus, ſemel et iterum, ſed mendoſe admodum, editus eſt. Nouiſſima editio Amſtelod. terſa, ſed annotationum expers eſt, quae in illa editione iure ac merito deſiderantur. In pictura, quam ueteres oculis ſubiecerunt, interdum a Pauſania differt, quae res permagni eſt momenti. Ed. Amſtel., 1686, 8, ubi ſimul et alii ſcriptores comprehenſi ſunt. Subiectae ſunt aliquot notae, ſed emendando textui non ſufficientes. Inſigne caput, ſeu ſententia, in eo, de immortalitate animae, extat, in ſcriptore Mythico, Salluſtio, qui philoſophus appellatur, et Phurnuto eſt ſubiunctus, p. 258, c. 8, de Mente et anima.

Olaus Rudbeckius, Suecus, mathematicus et medicus haud obſcuri nominis, et in patria hiſtoria diligenter uerſatus, Atlanticam edidit, in qua origines omnium Iapheti poſterorum ediſſeruit, ſed plurima ex hiſtoria Mythica arceſſiuit, et Gothorum Sueonumque gentem, uelut Ciſmarinae parentem, ingenioſe uenditauit. Multa a Graecis aliiſque populis deſumpta, ad Gallos tranſtulit, luſu.

Henricus Mundius, rerum naturalium peritus, et medicus Londinenſis, multa et iucunda, in primiſque

miſque ad uictum et familiarem uſum pertinentia, collegit, utiliter, atque uno uolumine coniunxit. Pleraque attigit, ueteribus ignota, tam Graecis, quam Latinis, quorum fere omnis notitia maris Mediterranei, finibus continebantur, ſed in antiquis non perinde ſemper accuratus extitit, neque id eius inſtitutum fuit, cuius gratia antehac laudaui Ioannem Bruyerinum, ille uero multa etiam ſingularia et tranſmarina annotauit, et plura tradidit, quam ueteres, qui de tuenda ſanitate tradiderunt. Ed. Lugd. B., 1685, 8, et Lipſ., in 12. De pane, ut de ſiligine et ſimilagine, item, de zytho, uino, melle, ſaccharo, oleo, Thea, Coffa, Chocolada, et aliis haud ſpernendis, e. c., quod Lappones ſale non utantur, quos uel ea de cauſa bardos eſſe, experientia docet, XI, 2, p. 181. Triticum olim equis pro cibo dari ſolitum, teſtis eſt Homerus, apud quem Hector ait, Andromachen equis appoſuiſſe triticum uinumque temperaſſe, idem illud teſtatur Columella, qui, propter maciem, triticum uinumque, equis dari iuſſit, ut acrius incitatiuſque certent.

Edmundus Merillius, Tricaſſanus, Ictus et Anteceſſor, in Academ. Bituricenſi, uirtutis opinione et doctrina clarus, et antiquitatis etiam apprime gnarus, Cuiacii aemulus diſcipuluſque hoc praeceptore dignus, niſi, quod ingratus extitit, eoque nomine eruditorum reprehenſionem incurrit, maxime, ob libros Variantium, ex Cuiacio depromptos, et Pariſiis, 1630, editos, atque illuſtri

illuſtri uiro, Petro Seguierio, literarum literatorumque perito, dedicauit, in quibus, de Cuiacii laude mirum quantum detraxit. Alia emiſit multa laude digna et uariae lectionis opuſcula Lutet. Pariſ., 1618, 4. Expoſitiones in quinquaginta deciſiones Iuſtiniani, item, Commentatio, in Ioannem, Euangeliſtam. Diſputationes ad Merillium edidit Oroſius, Anteceſſor Aurelianenſis, in contententione erudita colaphum duxit Monera, Anteceſſor Aurelianenſis.

Chriſtianus Daumius Cygneae docuit, et Zechendorfii in ſchola ſucceſſor, Barthianae alumnus doctrinae fuit, cum Nicol. Heinſio, Graeuio, Reineſio, Boſio, amicitiam coluit, antiquos libros euoluit diligenter et contulit, uariaſque lectiones concinnauit. Optimum eius eruditiſſimumque opuſculum eſt, de Cauſis amiſſarum quarundam linguae Latine radicum, quod Cygneae prodiit, 1642, 8.

Ioannes Boccatius, Certaldenſis, in hiſtoria mythica multum diligenterque elaborauit, et, ſeculo a natali Chriſti XIII, floruit, cuius extant pleraque doctrinae induſtriaeque laude neutiquam fraudanda. Opus, quod, de Genealogia deorum, inſcripſit, multi eſt laboris argumentum. De claris uiris et Mulieribus non praetereundum. Alia quaedam Italice compoſuit, et in rhythmo domeſtico praeclare uerſatus fuit. Eius aetate literae Latinae in Italia refloruerunt, ſed in Graecis doctrinis nec Boccatius, nec Petrarcha, inſtructus

ctus fuit, et hoc est, quod in Boccatii opere mythologico iure desideramus. Editio operis, de Geneal. Deorum Basileae in lucem exiit, 1532, f. Legendi cum eo Crinitus, in primis antiqui, Cornutus, Fulgentius, mythologiae fontes. Natalis Comes omnibus est notus, sed editio Venera maior est, in 4.

Christophorus Barbarossa, artium et philosophiae Magister, in Hadeleriae uico Sacerdos, Latinitatis peritus, et dictionis emendatae studiosus, fuit. Operi ab se edito non recte praescripsit titulum Ciceronis rediuiui, quoniam plurima non Ciceroniana, et persaepe etiam poetica, intermiscet, atque dictiones accurate distinguit. Editio Goslar., 1161, 8, duobus uolum. constat. Extant eius quoque Dispositiones Catecheticae, ab ordine theologorum Rostochiensium commendatae, et rerum praefatione auctae, ib., 1618, 4. Ante membrum sacri ordinis Luneburgi.

Laurentius Beierlinckius, Antuerpiae Brabantus, uir in excerpendo et colligendo diligens, et, concionatorum more, Patrum sententias atque exempla compilare solitus, sed acerbo uir ingenio et mediocri iudicio usus est. De Luthero narrationes falsas et calumniis plenas inseruit, maxime concionibus, quas uocat selectas, Colon. Agripp., 1628, 4, editis. Rectius de uita et morte Lutheri scripserunt Philippus Melanchthon, 1562. Mattheſius et alii. Maiori eruditione conciones Louanii habuit, quae, ad sug-

gestum

geſtum minime pertinent, ſed ad doctrinae ſanctioris apparatum atque uitae emendationem compoſitas, in 4,

Laurentius Begerus non ita pridem quaedam capita Theſauri Gronouiani excuſſit, et, autorem coniectura deceptum, oſtendit. A recta interpretationis uia deflexiſſe uidetur in examine marmoris Ancyrani, ab Vdenio confecti, quod ei quoque uſu ueniſſe, ueriſimile eſt, in Supplementis ſcriptorum ueterum, nominatim Dionis Caſſii et in pleriſque commentariis Liuianis. De prioribus uid. Colloquii quorundam, de tribus primis Theſauri antiquitatum Graec. uoluminibus, Relatio. Idem a Fabretto notatus eſt in Exegemate.

Henricus Doduuellus interdum non eſt ingenuus et minus ſincere explicat uerba ſcriptorum. Nouiſſime locum Herodoti, contra mentem Herodoti interpretatus, non de ſolis defectione, ſed tenebris repente exortis, I, 74, ἐναλλογὴ ἡμέρας immutatio diei, cum plena luminis diuini obſcuratione coniuncta, ſic, ut dies repente nox fieret, de caliginoſo uapore dici non poteſt, ſed reuera fuit defectio ſolis, quando, lumine ſolis intercepto, nox pro die fuit. Vid., de Cyclis opus, p. 12.

Marſilius Ficinus, Florentinus, philoſophiae Platonicae, ſi quiſquam alius, longe peritiſſimus, luculentam eius interpretationem, accurate confectam, emiſit, nec modo Platonem, ſed

etiam

etiam Plinium, in Latinum conuertit, eoque, ueluti cummulo ſuperioris diligentiae, auxit. Idem ille Alcinoi Epiſtolas ſcite explanauit. Inter editiones Platonis Latinas praecipua memoranda eſt Lugdunenſis, 1548. Praeterea edidit, de Religione, opuſculum, quod Argentor. et Bremae recuſum eſt, 1617.

Abraamus Ortelius, geographiae inſtaurator egregius, et euulgato, qui laude cumulandus eſt, Theſauro geographico clarus, cuius editio eſt optima Plantiniana, 1596, et alia, poſt hanc, recuſa Hanouiae, 1611, 4. Extat apud me, cum notis Goeſianis, et ipſius. Nihil in uiri diligentia deſiderandum eſt, ſed Graecae ignarus linguae, et hiſtoriae accuratioris imperitus, non uno in loco, et parum accurate, in regionum deſcriptione, uerſatus. Fallit ſaepe, et fidem ſuam autoritatemque infirmat. Alioquin omnis antiquitatis ſtudioſus, et ſcrutando diligens. Brabantiae, et inferioris Germaniae, et ſeculi ſuperioris Ptolemaeus merito appellatur, cui mortuo inſcriptionem funebrem fecit I. Lipſius.

Alexander Geraldinus, Vmbria Apulus, Praeſul quondam S. Dominici, apud Americanos, qui, ſiue pietatis ardore, ſiue gloriae ſtudio, incenſus, nouum orbem perluſtrauit, et oculis uidit, quae alii auribus perceperunt. Ritus ceremoniaſque et mores, atque inſtituta gentis non Americanae modo, ſed etiam Aethiopicae, ac, ſub plaga Aequi-

noctiali constitutae, literis mandauit, et Itinerarii nomine inscripsit, quod editum est ab autoris abnepote, 1631, 8. Opus industria scriptoris, uarietate rerum, suauitate commemorationis, rerum, Europaeis minime cognitarum, utile et iucundum. Multa etiam, ab antiquitate sumpta, erudite inseruit, praesertim limitem Europae ueteris et Mauritaniae accuratius exploratam, columnamque Herculis propius obseruatam, et nauigationes ultra Oceanum Aethiopicum et Atlanticum promotas. Romanos enim Aethiopiam subigere noluisse, quod aestus non sineret ibi commorari, persuasos. De conditione Regis et situ locorum, foecunditate item ac uitae hominumque alimentis, uaria addidit. De Christoph. Colono, L. XIIII, singularia quaedam subiecit, in primis situm Hispaniolae, ubi sacris operatus est, et soli ubertatem descripsit, panem ibi non ex frugibus, sed ex radicibus, confici, tradidit, et confirmauit, homines non agrestes tantum, sed etiam sylueſtres, esse docuit, qui tamen opinionem immortalitatis habeant, animasque interitus expertes, arbitrentur. Idem ille epistolas quoque scripsit.

Ioannes Henricus Heideggerus, Professor Tigurinus, sedulus admodum et in controuersiis, contra ritus Pontificii coetus, insigniter exercitatus, disputationes et disquisitiones historicas, pleraſque eruditas, edidit, maximeque Pontificis autoritatem impu-

impugnauit. De theologia ſcholaſtica praeclare docuit, eam multa errorum monſtra peperiſſe, non tamen exterminandam eſſe, ſed corrigendam, merito arbitratur. Illud uero certum eſt, Scholaſticos quoſdam doctores in controuerſiis diſquirendis et examinandis maiori audacia, quam ueritatis argumento, uerſatos, immo, aliquos, ne lecto quidem ſacro Codice, in diuinum ſtudium incubuiſſe, eaque imperium tyrannidem potius tenente, quatuor prope ſeculis, ſcripturam neglectam iacuiſſe, nullas literas ad eam explicandam adhibitas fuiſſe, nec Graecas, neque Hebraeas. Vnde barbaries in eccleſiam et iugum dominatus pariter accelaratum, diuque ſeruatum eſt, quod, renaſcentibus denuo literis, pietate et doctrina Lutheri aequaliumque eius, fortiter acriterque eſt depulſum. Opera Heideggeri extant Hiſtoria Patriarcharum, Diſſertationes ſelectae, Tiguri, ubi docuit, habitae, et 1675, 4, editae, quaedam exegetica, Hiſtoria Papatus, Amſtel., 1684, ſubiecit Franc. Guicciardini deſcriptionem, ſiue, ut ipſe uocat, Hiſtoriam Papatus, ex L. IIII, Hiſtoriae Fr. Guicciardini deſcriptione deſumptam, antea tamen a Goldaſto ed. Hoc ante eum quoque Machiauellus, L. I Hiſtoriae Florentinae, conſignauit.

Carolus Labbeus, iuris et antiquitatis admodum peritus, maxime in iure Byzantino et Graeco uerſatus, cuius extant obſeruationes et emen-

dationes in Synopſin Baſilicorum, et Gloſſarium erudite diligenterque confectum.

Philippus Labbeus, Bituricenſis, e ſocietate Ignatiana, multaeque lectionis, ingenio et memoria praeſtans, ſed Petauio, in ordine ſuo, ſecundus, Graece Latineque doctus, et autor adiutorque nouae Conciliorum editionis, quae optima eſt. Opera, Bibliotheca Bibliothecarum, Bibliotheca MSS. librorum, OO. Chronologica.

Georgius Obrechtus, Ictus Argentoratenſis, in rebus cum forenſibus, tum ſtudiis liberalibus, inſigniter uerſatus, facultatem ingenii probauit eruditis, et tironibus ad iuriſprudentiae ſtudium uiam praeiuit, eamque ob cauſam libros ac diſſertationes, ad ornandam iuriſprudentiam pertinentes, edere non dubitauit, neque in eo opere ceſſauit, et exercitium iuris antiqui, in Academia Argentoratenſi, inſtituit non inutiliter, et partes dicendi atque in foro, ſimulacro quodam togatae militiae experiendi, impoſuit ciuibus eruditis, qui tunc Argentorati, ſtudiorum cauſa, uerſabantur. Ante eum hoc facere aggreſſus eſt Melch. Iunius, conatu pariter fructuoſo, niſi, quod in formulis Obrechtus plerumque a conſuetudine ueri et ueteris Romani fori deflexit. Ed. Ienenſis, 1692, 8.

Caſpar Hofmannus, Gothae in Thuringis natus, totum ſe literis humanioribus tradidit, maxime-

que

que in Graecis aetatem conſumpſit, cumque arti medicae operam daret, ueteres, eoſque Graecos, philoſophos, diligenter euoluit, inter hos praecipue Ariſtotelem, tum quoque Dioſcoridem, Theophraſtum et Galenum, ſedulo perlegit, ne Platonem quidem neglexit, multo minus Hippocratem, artis ſalutaris principem. A. CIↃ IↃ CXLIIX, uiuis exemptus eſt. Mortuum laudauit Ioannes Georgius Volkamerus. Decus Germaniae plerique exteri ipſum appellarunt, aduerſarii et aemuli canem uocarunt. Eius opuſculum eruditum eſt, quod Variarum lectionum titulo inſcripſit, in quo pleraque loca ueterum emendauit, docteque caſtigauit, nominatim Dioſcoridis, Hippocratis, Athenaei, Plinii, Ariſtotelis et Galeni. Ed. Lipſ. 1619, 8. Inſtitutiones eius Lugduni prodierunt, quas curauit Sponius. Sed in his ſaepe crucem fixit aliis, operam tamen et diligentiam probauit. Scripſit quoque uitam Galeni. Ope ſenatus Norici ſubleuatus, Altorfio Batauiam conceſſit, et Herculi Saxoniae, Hieron. Fabricio ab Aquapendente, Minadoo, Mantellae Campanae, ſolertiam atque aſſiduitatem in audiendo atque diſcendo teſtatam fecit, atque, his moderatoribus, inſigniter profecit. Deinde Germaniam repetiit, et Rauracos ac Trebocos ſalutauit.

Philippus Verheyen, in Academia Louanienſi Doctor medicus, et artis diſſecandi humana cor-

 pora

pora peritiſſimus, doctrina et uſu pariter dexterrimus, conſcripſit et edidit Louanii corporis humani anatomiam, quae breuitate et accuratione facile omnibus huius argumenti libris, quos uiderim, praeſtat. Peritia huius artis deſtituit ueteres, ipſumque Galenum, et philoſophos ſuperiorum temporum, quos Scholaſticos uocant, qui de rebus naturalibus garriebant et ineptiebant, neglecto philoſophiae ſtudio, cuius poſſeſſionem deinceps medici, ut derelictam, occuparunt. Ed. Louanii, 8, et nuper Lipſiae.

Otfridus, poeta, aut rhythmographus potius, Germaniae antiquiſſimus, Rabbani Mauri diſcipulus, Ludouici II aequalis, multa eruditione ſacra, ac aeque, profana, praeditus, Euangelia in rhythmos Germanicos redegit, quod ueteris teutoniſmi reperit monumentum B. Rhenanus, et poſtea edidit Matth. Flacius. Extat in Biblioth. Vindobonenſi, ex qua emendatius perfectiuſque edi poſſit. Vid. Lambecii Biblioth. Vindob., II.

Ioannes Piteritius, Sacerdos noui ritus, in Comitatu Lippienſi, ueteris oppidi Blumbergenſis, tumulis Comitum gentis illius clari, ad antiquam patriae hiſtoriam ſe applicauit, et amicitia Henr. Meibomii, Profeſſoris Iulii, uſus eſt, conquiſiti undique Chronicis et MSS., etiam Lippenſibus, Blumbergenſibus et Hornenſibus chartis, adhibitis praeterea

terea ſcriptoribus, quorum libri, annales et chronica, extant, nominatim, M. Iuſtino Lippienſi poeta illorum temporum non obſcuro, cuius Lippiflorium, ab Henr. Meibomio editum, Bernardo VVittio, itidem Lippienſi, monacho Leiſbornenſi, qui pariter Lippienſe chronicon conſcripſit, autore ueteris chronici Saxonici, anonymo Lauterbergenſi, Gobelino Perſona, Decano Ertmanno, Oſnabrugenſi, Andr. Hoppenrodio, Sacerdote dioeceſis Magdeburgicae, Io. Henningio, Sacerdote Luneburgico, et aliis haud ſpernendis chronicorum ſcriptoribus. A Cranzio, nec, ſine cauſa, interdum diſſentit. Duo in eo deſidero, quod tabulas ueteres aut neglexerit, aut non accurate aliquando inſpexerit, et, quod in diſtinguendis ſcriptoribus non accuratiore iudicio uerſatus fuerit, maxime in antiquiſſimis Saxoniae rebus. Legit eum Schatenius, et plerumque ueterum Saxoniae locorum indicia ex eo deſumpſit. Deſtituerunt eum ſcriptores Ducheniani, ex quibus uera et ſolida Francicarum rerum hiſtoria petenda. In Catalogo ueterum Saxoniae Comitum fidem non meretur. Ed. Rintelienſis, 1627, f., ab prima origine ſeculi Romanorum, uſque ad A. CIↃ IↃ CXIIII, hiſtoriam produxit.

Thomas Brodaeus, Anglus, eruditum, de Sabbatho, librum compoſuit, qui, ob excitatam denuo controuerſiam, in qua Schmidius et Oſian-

 der,

der elaborarunt, haud inutiliter legendus eſt, in Batauis Amſtelod. recuſus, 1659, 12.

Claudius Berigardus, Molinenſis, in Academiis, Pariſienſi, Piſana et Patauina, ſtudiorum cauſa, uerſatus, totam fere aetatem in philoſophia conſumpſit, et ueteres in primis Graecos euoluit diligenter ac legit, neque genus ſcribendi inquinatum uſurpauit, de ſententiis antiquorum, nominatim, Ariſtotelis uere exiſtimauit ac iudicauit, eum de ortu mundi nihil recte cognouiſſe, materiamque aeternam tradidiſſe. De geniis, de daemonibus, de lapſu Angelorum, atque aliis huius notae rebus, multa bene ſatis docuit, animaduertit annotauitque. Diſſertationes ſuas inſtituit per dialogos, dum colloquentes inter ſe et diſſerentes introducit Charilanum et Ariſtaeum. Docuit Piſis et Patauii, magno cum applauſu. Opera eius prod. Vtini, 1643, 4, titulus eſt, Circulus Piſanus, de ueteri Peripateticorum philoſophia.

Vlricus Obrechtus, Ictus Argentoratenſis elegans et literis eruditus, in primiſque in philoſophia uerſatus, Boeclerianae Bibliothecae heres, Boineburgio patrono uſus, peregrinatione prudentiam ſibi comparauit. Nuper edidit Hiſtoriae Auguſtae ſcriptores Argentor., 1677, et M. Fabium Quintilianum, 1698, 8. Oratio eius florida, dictio ceteroquin rebus accommodata.

Athanaſius

Athanſius Kircherus, de uaria ſonorum ratione, multa et docte, et diligenter, tradidit, et ſpeciatim ſoni uociſque repercuſſae cauſas inueſtigauit, in quo induſtriae genere Blancanum ſecutus eſt, ac nouis artem inuentis auxit. Ille Echometriam, hic Phonurgiam, nouam in lucem emiſit. Ibidem iucunda eſt explanatio echus in antro Syracuſano, uocem aliquoties reddidit, cuius Ichnographiam ante eum Mirabella edidit, opere ſatis eleganti, de qua legendus eſt Kircherus, Phanurgiae I, 3. Echo in ualle montis Veſuuii nuper, poſt incendium, audire coepta, ex idoneiſque cauſis ab eo explicata, c. 4, eiuſd. libri. Memorabilis praeterea eſt echo Ticinenſis, atque in ualle montis Pauſilypi, apud Neapolitanos, amplius, de inſtrumento, ad ſonos longius deferendos, comparato, ſiue, ut uocant, acuſtico, ſect. VI, c. 2, atque eius experimento, ab Auguſto Caeſare, Eberſdorfii facto, eiuſd. ſect., c. 1, de inſtituto ueterum Aegyptii Regum, quos lepide narrat, hoc, tali modo uoces ſuas protuliſſe et propagaſſe, a pyramidibus ad Ammonis fanum, ſect. ead., c. 2, de ſono in aquae ductibus Romanis continuato, ſect. III, c. 2, de ſonis prodigioſis, quos experientia confirmat, L. II, ſect. 3, c. 4, de prodogioſo quoque ſonitu ſinus Bothnici et puteo Fuldenſi, ib., c, 5, de ampulla ab edito uocis ſono rupta, p. 192, de uenenato tarantulae morſu, eiuſque remedio, ope Muſices, L. III, ſect. 2, c. 4, de Muſica furorem concitante. Fabula,

de Hamelenſibus pueris relata, p. 220, edit. Campiduni, in Sueuia, 1673. *Hiſtoria Anabaptiſtarum*, 1701, 8, maximam partem ex aequalibus, et proximis motuum Monaſterienſium, ſcriptoribus deprompta et collecta, pro tironibus ſcripta eſt, quaedam ſingularia, excerpta et inſerta, uanitatem et furorem iſtorum hominum, oſtendunt. Autor hiſtoriae ad ſcribendum inductus eſt a ſcriptore Gallico, qui hiſtoriam Anabaptiſtarum, 1695, ſermone Gallico, compoſuit, quem Latinitate donauit et notas quaſdam ſubiecit.

De obſeruationibus coeleſtibus, ad promontorium Bonae Spei inſtituendis, periti cuiuſdam Germani extat conſilium, ſed a Gallis in India pridem iam anticipatum, maxime Patrum Religioſorum induſtria et ſumptu, auſpicioque Chriſtianiſſimi Regis. In quo gratulamur noſtro proximo ſeculo, quo ueterum in eo genere diligentiam ſuperauimus, nec tamen omnibus numeris perfectas obſeruationes habemus, praeſertim in contemplatione ad inueſtigandas locorum longitudines conducunt, fixarum uero ſtellarum menſura a nemine hactenus eſt deprehenſa.

Hebraeorum populus, poſtquam a Dei foedere diſceſſit, et ad ſuperſtitiones deflexit, non eſt idem ille, qui antea fuit, Dei populus, et ciuitate et libertate ſua mulctatus, et, niſi uitam moreſque emendet, Chriſtoque ſe coniungat, deinceps in gratiam cum Deo non rediturus. Spes tamen

eſt

eſt, ante mundi conflagrationem, ad Chriſti coetum traducendos, quod tamen infitiatus eſt Iac. Batalerius, et Hebraeos, poſt anuntiatum ab Apoſtolis ſalutare uerbum, pertinaces tali gratia, praeſertim, ſub tempora nouiſſima, indignos plane futuros. Liber editus eſt Hagae, ſub tit., de Iſraelitarum conuerſione, 1669, 12.

Seculum, quod Graecis eſt aeuum, centum annorum finis dicitur, ſed aliqnando centum et pluribus annis continetur. Vid. Zoſimus, II, 1, autoritate carminis Sibyllini, cuius eſt fragmentum in Zoſimo, c. 6, poſt centum et decem annos ludi ſeculares celebrari memorantur. Eo legendus eſt Cenſorinus, de Die natali, in quo mendoſa lectio, quae caſtiganda eſt, iamque eam caſtigandam ſuſcepit Franc. Modius, Brugenſis, in Nouo antiquis. In nummis Philippi, Arabis, legitur ſeculum nouum. Vid. Occo, medicus, de Numiſmatibus.

Cenſorini libellum aureum appellauit Scaliger, de Emendat. Temp., exinde eo magis dolendum eſt, illum tot ſcatere mendis. Salmaſii liber, de Anno Climacterico, antiquitatum ſtudioſis utiliſſimus eſt. Sibyllina Carmina ſuppoſita eſſe, ego iudico, quoniam inter alia Mariae quoque nomen praedicitur, quod neque Elaiam ſciuiſſe, arbitror.

Cum ſpiritus, in terra incluſi, exitum quaerunt, tum ab igne exaeſtuante, qui ſub terra latet, excitantur, et materiae ibi reconditae, eaeque ſulphureae, accenduntur, ut ipſa adeo terra concutiatur et contremiſcat, quod machinarum expe-

experimento declaratur. Talis eſt ſolis conditio Puteolis, Napoli, atque inſulis, Emario et Vulcanio, itemque in Aetna, parte Siciliae maritima, ut oculati teſtes confirmant, quibus ſuffragatur Ferrandus Imperatus, Neapolitanus, Hiſt. Nat., X, 9. Addendus eſt Kircherus in Mundo ſubterraneo, nouiſſime Paulus Pater, in Excidii, Neapolitani A. 1688, deſcriptione. Thorunii prodiit.

Quas *pillulas* Latini, eas Graeci catapotia, uocant, et a medicis, in forma rotunda, praebentur. Alioqui haec uox latius patet, et ſignificat omnia, quae, ori admota, integra degluti-untur, proprie, quae bibendo ſumuntur et abſorbentur. De catapotiis, quae pillulas, in globorum modum formatas, ſignificant, legendi ſunt Alexander Trallianus, II, 4, III, 21, et Aetius, X, 26. De examine pillularum erudite et utiliter, per dialogum, ſcripſit Anton. Muſa, Braſauaſas catapotia panchreſta uocantur pillulae ad uarios morbos comparatae, etiam de comitiali morbo ibid., ſcriptus uterque liber, in 8.

De Cicuta, quam bibit Socrates, locupletiſſimus teſtis eſt Diog. Laertius, in uita Socratis. Ibidem narratores et interpretes, praeſertim Menagius. De qua herba eiuſque hiſtoria et noxa nouiſſime ſcripſit Ioannes Iac. Schoepferus, Medicus Schafuſianus. Editum eſt opuſculum Baſil., 1679.

Amomum ap. Virgilium, in Eccl. IIII, 25, ueteribus ignotum, nec uiſum, et hic pro uero aromate ſumptum, ſuffragatore etiam Salmaſio, ex eoque, Ioanne Rhodio, in notis ad Scribonium Largum, p. 130. De amomo pulchre et erudite diſſeruit Nicol. Maronea, Veronenſis, in ſingulari commentario, de Amomo, Baſil., 1608, 4.

Promiſſa, etiam latronibus facta, non temere ſcindenda, ſed omnino conſeruanda, eſſe, per idoneas rationes liquet, eoque magis hominibus, in religione diſſentientibus, his etiam, quos haereticos appellant, id quod cordatiores Pontificii approbant, Mart. Becanus, Ioannes Molanus, Suertius, Roſuueidus, Ioannes Bodinus, Proſper Tarenatius, Iac. Menochius, et nouiſſime, in compoſitione pacis Dillingenſis. Cicero legendus in Officiis, in primis autem Hugo Grotius et Vffelmannus, in Aphoriſmis Ciceronianis, aph. 30. Promiſſio tamen debet eſſe ſuper re honeſta.

Lac Lunae, quod non ex luna defluit, ſed in montium quorundam cauernis reperitur, primus deſcribere conatus eſt C. Geſnerus, Heluetiae Plinius, et incomparabilis uir induſtriae, in Deſcriptione montis Fracti, et, in libro de Foſſilibus. Gignitur ex metallorum uaporibus, a Plinii Gelachite ac Morochtho, atque ab Agarico diuerſum eſt, mulierumque lac auget, et commode in medicina uſurpatur. Poſt Geſne-

rum

rum legendi sunt Vlysses Aldrouandus, seu, qui eum continuauit, Ambrosinus, sed ad margam non recte retulit, quae a Plinio adeps terrae appellata est, Nierenbergius, Ol. VVormius, Io. Ioach. Becherus, Io. Dan. Maior. Non defertur ex montibus lunae, in Aethiopia sitis, neque ex Peruuia asportatur, sed ex tractu Perusiae, apud montem Apenninum, atque ex Hispania noua, affertur, quae pars Mexici est, idque autore Io. Leto, qui Americam percurrit, satis constat.

Speciatim in agro Bernensi et in monte Fracto, in tractu Lucernensi, in Silesia, Italia, Peruuia, immo, in insula, scil., in eius scopulis, Oceani Germanici Hilgeland in noua Hispania, et terra Cacasti reperitur.

Acta passionis SS. Perpetuae et Felicitatis, a L. Holstenio edita, cum digna lectu sunt, tum ad intelligenda quaedam Prudentii loca commode adhibentur. Ed. Parisiis, 1668, 8.

Nicolaus Mercerus de Epigrammate scribenda commentatus est, superiore tempore, sed, nostra memoria, Franc. Vauassor, Ignatianae uir sodalitatis, tres, de Epigrammate libros conscripsit, et libros totidem Epigrammatum, a se conscriptorum, operi subiecit, Paris., 1672, erudite et eleganter in prosa ac uincta oratione uersatus, in quo non minus ingenium, quam industriam et scribendi elegantiam, obseruamus. Alia quaedam

dam pari diligentia et amoenitate conſcripſit.

Opium eſt papaueris ſuccus, qui, cum in paſtillos redigitur, *μηκώνιον* nominatur, fitque per expreſſionem, ut Opium per inciſionem, cultello factam. Hoc enim Opium ſomnum facit et refrigerat, ſenſus ſtupefacit et hebetat, ueneriſque ſtimulos infrigerat. Magnus opii in Africa, Mauritania et Aſia, uſus eſt, et credulitate barbarorum, aut potius conſuetudine, quae naturam imitatur, quae leuandae laſcitudinis roboriſque conciliandi uim habere dicitur. Quibuſdam in locis pani admiſcetur, quod teſtimonio comprobat Galenus, et in agro etiam Tridentino fieri ſolet, ſed ſtomacho nocet, niſi uitium coctione corrigatur. Vid. Dioſcorides, IIII, 65, ex eo Plinius, LXX, 18, Scrib. Largus, c. 48, Garcias ab Horto, in Aromatum hiſtoria, I, 4, Anton. Muſa Braauuolus, de Simplicibus medicamentis, p. 220 et 443, P. Bellorius, Obſeruatt. III, 15, Ioannes Ferragoſus, in Aromatum Ind. hiſtoria, c. 12, Thomas Seydenhamius, in Opuſculis, p. 164. Add. Io. Bruyerinus, VII, 15, Henr. Mundius, Caſpar Pilleterius et Matthiolus, in Epitome, p. 802, 4.

Antiquorum Aegypti Regum cadauera, balſamo, myrrha, cinamomo, aloe, croco et aromatibus, condita, aſſeruata ſunt, ſed, ad noſtra uſque tempora, non durarunt, cauſamque mentiendi impoſtoribus

ſtoribus praebuerunt, ut uulgo imperitorum perſuaderent, ueras eſſe Mumias, quas oſtentant, ſpecie cuiuſdam ſpiſſi odoratique liquoris. Fraudem detexit Petrus Andr. Matthiolus, in Dioſcorid. I, 85. Viri in medendi arte exercitati cordatique exiſtimant, nec Auicennae quidem Mumiam, quae ex ſanie humana, piſſaphalto mixta, conſtabat, hodie ſupereſſe, quae in officinis pharmacopoliis ſeruantur, ſpiſſos eſſe duntaxat putridorum cadauerum ſuccos, et uſu medicinae indignos. Vox Mumiae eſt Arabica, a Rhoſi et Auicenna uſitata.

Haruaeus, alter fuit in Britannia Hippocrates, a Gualthero Charletonio laudatus in libro ſingulari, de Scorbuto, p. 3. De quo etiam ſcripſerunt VVilliſius et Sennertus. Hic morbus, ne Hippocrati quidem ignotus fuit, Celſo, Plinio, Galeno et inſequentibus medicis, haud obſcure indicatus, quod idem confirmat, p. 4, 5, 7. Ed. Londin., 1672, 8, autore Gualth. Charletonio.

Iulius Obſequens, ſcriptor non deprauatae Latinitatis, et in Liuio, ut apparet, legendo diligenter uerſatus, ſed conciſo dictionis genere uſus. Quaedam librariorum potius, quam autoris, uitio mihi inquinata uidentur. Quando uixerit, incertum eſt, Arcadianam, mea ſententia, praeceſſit aetatem, et Hieronymo antiquior uidetur. Editus primum eſt ab Aldo Venetiis, deinde

deinde a Rob. Stephano, Pariſiis, nouiſſime a Io. Scheffero, Amſtelod., 1679, 8, cum notis.

Heſychius Grammaticus doctiſſimus fuit, ſed, quando uixerit, incertum eſt, quem nemo adhuc prorſus emendare auſus eſt, niſi quod, ſuperioribus annis, emendandi ſpem fecit Io. Caſp. Suizerus, ſed tanto labori impar, ſubſidiis deſtitutus, prudens abſtinuit, promiſſis et non ſtetit. Maiori conatu Io. Verbeus ſe parat, quia non inſtructus eſt tantis, quae ſufficiant, doctrinae copiis, conquirit paſſim, et corrogat animaduerſiones doctorum et ſchedas MSS., a Graeuio perſuaſus, qui operas Batauorum urget. Vellem, antehac Salmaſius eam ad rem ſe applicaſſet, laboremque ſuſcepiſſet, et ſuas ad Xylandri annotationes, meliori temporum fortuna, reliquiſſet. Haud dubie priores in Batauia adhuc extant, alterae in Heinſii et Goeſii Biblioth. fuerunt, ſed interceptae deſiderantur. Ego nactus ſum librum MS., animaduerſionibus illuſtratum, ſed in quibus Sylburgii et Salmaſii criticam non licet inuenire. Is uero a librariis indigne exceptus et inquinatus eſt, pluribuſque mendis ſcatet, quam Pollux, nec rationes uocabulorum criticas ita explicat, ut ultra gloſſographum ſe attollat. Multa enim non addidit quae ex aliis gloſſographis et Harpocratione petenda ſunt.

Leander Albertus, Italus, deſcripſit Italiam, Italice et Latine editam, labore utili et diligentia ſingulari. Prodiit Bononiae, 1550, Venet., 1553,

1596, Lat. Coloniae, opera Vilelmi Kyriandri. Cum eo iungenda eſt Italia illuſtrata, ad quam libros codiceſque ſuppeditauit Andr. Schottus, in qua tamen multi et egregii ſcriptores deſiderantur. Nouiſſime addenda et emendanda eſt Italia ſacra Vghelli.

Hermogenes, Rhetor, orationis formas copioſe tradit, ac diligenter eruit atque examinat, ſed acumine interdum nimis ſubtili, nec tamen Rhetoricae ſtudiis indigno. Multa ex eo hauſit Georg. Trapezuntius, rhetor, aetate poſterior, et multa ab eo mutuatus, quae ad ſubtilium capita obſeruationum pertinebant. De uſu tranſlationum tam apte, quam utiliter, docet, atque in hoc genere uerecundiam et grauitatem oratori ſeruandam, ingenue pariter, atque accurate, monet. Inde orſus eſt, ubi Ariſtoteles in III libro Rhetor. ſcribere deſiit, et ex paruo puroque fonte infinitos prope riuulos duxit, ſed aliquando id laudauit Hermogenes, quod uituperauit Longinus. Edit. Ald. Graece, 1508, cum aliis, Pariſ., 1520, 4, Criſpiniana, 1569, 8, Sturmiana, 1570, et 1571, Geneuenſis, 1614, 8, elegans.

Etymologicum Magnum, cuius autor multam utilemque operam notitiae Graecorum uocabulorum nauauit, et cum antiquis Grammaticis, qui Lexica, aut Dictionaria, Graeca ediderunt, coniungi in primis debet. Etſi multa in eo menda repur-

repurganda ſuperſunt, quae facile intelligi, et aliorum ope Grammaticorum, diiudicari poſſunt. Huc ſpectant Gloſſaria Philoponi, et cetera, ab H. Stephano, C. Labbeo, Bonauent. Vulcanio, edita. Etymologicum M. ed. Sylburgii, Heidelb. Commelin., 1594, f., eſt optima, et multis eruditiſque annotationibus aucta, capitalibus literis proſtat Venet., 1499.

De Scriptoribus Epigrammaticis extat liber eruditus Franc. Vauaſſoris, qui uir inter doctiſſimos Galliae Ieſuitas eſt habendus, Pariſ. edit., 1671, 8. Frobeniana, 1549, f., admodum mutila, VVechel. edit. optima, 1600, in qua tamen eſt omiſſum Epigramma Melagri, et Philippi Theſſalonicenſis, quod extat apud Vauaſſorem, locus eſt de uino hordeaceo, L. I, p. 121. Epigrammata MSS., ex Bibliotheca Iſ. Voſſii excerpta, quae Heidelbergae ex Cod. MS. deſcripſerat Salmaſius, illa autem MSS. ſunt ualde mendoſa, erotica et, ob foeditatem et obſcenitatem, diligenter cauenda.

Ariſtoteles, patria Stagirites, Nicomachi et Phaeſtiadis filius, Platonis diſcipulus, ingenio acri praeditus, diſciplinisque Mathematicis excultus, ac deinde in Philippi aula uerſatus, Alexandro in bellum profecto, ſcholam Peripateticam, cuius princeps fuit, auſpicatus eſt. Stylo utitur facili, eoque Attico, et ad docendum accommodatiſſimo, etſi ueteribus uiſus eſt ſaepe obſcurus, forte ob inſcitiam illorum temporum, quae literarum elegantia ac nitore carebant. De eo affirmat Daniel. Barbarus, ſe, niſi Chriſtianus

 eſſet

eſſet, Ariſtotelis doctrinam per omnia et in omnibus, amplexurum eſſe. Antiquitus lectio Ariſtotelis praecedebat lectionem Platonis, ut ab his quaſi gradibus philoſophiae Ariſtotelicae animi ad doctrinam reconditamque Platonis ſapientiam praepararentur. Vid. Marinus, in Vita Procli. Edit. Aldi, 1495, 96, 67, f., P. Manutii, 1552, 8, uol. IIX, Francof., Frider. Sylburgii, 1587, 4, Caſauboni, Gr. Lat., Lugduni, 1590, et 1597, f., Geneuae, 1605, f., 1607. f., Pariſ., 1619, 1629, II uol., et, 1639 f., III uol. Rhetorica Ariſtot., 1576, cum comment. Acciaioli et Volaterrani, Florent, 1583, f., cum Comment. P. Victorii.

Ariſtophanes, Comicorum princeps et Atticae delicium linguae, lepore et gratia omnibus praeſtat. De eius patria nihil certi conſtat, etſi pro ciue Athenienſi ſe geſſit, et iure Atticae ciuitatis eſt donatus, tanto quidem dignius, quanto elegantius ueneres in comoedia expreſſit. Maxime ualuit ingenio, et, praeter ceteros, plurimum ſalis habet in coarguendis et deridendis Athenienſium moribus, quos hac ratione correxit prudenter et caſtigauit. Maiori moderatione et iudicio uſus eſt, quam Cratinus et Eupolis, qui acerbi nimis et inuerecundi erant. Nouam primus comoediam reperit, eiuſque modum et exemplum ab ipſo mutuati ſunt Philemon et Menander. Ed. Venet. Aldina, 1498, f., cum Scholiis Gr., Florent.,

rent., 1525, f., Basil., 1547, Basil., 1547, Paris., 1549, cum Comment. C. Girardi, Nicod. Frischlini, 1586, et 1597, 8, Francof. ad M., Colon. Allobr., 1608, f. Aur. Allobr., 1607, opera Odoardi Biseti, Mairiana, Lugdun. B., forma min., qua usus est Tanaqu. Faber, cum meliore careret, 1624 Aristophanis Nebulae, Plutus, Equites, Vltraiecti, 1557, 4, ex interpretatione Lamb. Hortensii.

Iulius Pollux, seculo post natum Christum II, floruit, et Galleni, Medici, aequalis fuit, cuius extat Onomasticon. Codex extat MS. in Bibliotheca Palatina. Illud de Pollucc addi et admoneri debet, quod nec a mendis repurgatus sit, neque interpretatio Latina congruat satis. Fuit Commodi, Imperatoris, praeceptor. Ed. Ald. Veneta, 1502, f., Florent., 1520, f., Basil., 1536, 4, Francof., 1608, 4, ex interpretat. Rudolphi Gualteri, et cum notis VVolfg. Seberi, Amstelod., 1706, f.

Valerius Harpocration, Rhetor Alexandrinus, Aelii Veri, ut uulgo putant, praeceptor, sed tempori non congruit, et, uitae spatio remotior, IIII demum seculo, uixit, cuius meminit Libanius in Epistolis, et bonum poetam, melioremque informatorem, uocat. Scripsit Lexicon in decem Rhetoras, utile perquam et lectu dignum. De eo uid. Suidas et Photius, in Biblioth., ex recentioribus Philipp., Iac. Mausaeus, Vossius aliique.

Ed. Aldina, 1503, f., Gr. Pariſ., Morelli, 1614, 4, accurata, cum notis Phil. Iac. Mauſſaci, Lugd. B., 1682, 4, quae eſt opt., ad quam H. Valeſii notae acceſſerunt. Interpretatio eſt Nicol. Blanckardi, praeter Mauſſaci notas, etiam Valeſii ſunt elegantiſſimae, ib., 1696, 4.

Ignatius inter Patres et eccleſiae doctores, praeter ceteros eluxit, Epiſcopus fuit Antiochenus, et Apoſtolorum diſcipulus, et, ut tradit antiquitas, a Paulo inauguratus atque ordinatus, cum ſimplicitate doctrinae, tum ſanctitate uitae, inſignis, et martyr, cuius epiſtolas perperam interpretantur Bellarminus et Baronius, maxime in capite, de traditionibus, de Epiſcopis, quibus primatum iuriſdictionis nunquam tribuit, item, de cruce, quam pro Chriſti paſſione accipit, ac, de tranſſubſtantiatione, quam nuſquam tradit, ſed ueram arctiſſimamque communionem, eamque myſticam, deſignat. Huc uid. Chemnitius, Vedelius, Bebelius, aliique ſcriptores, tum noſtri, tum Reformati. Patriam eius definit Abulpharagus, et Nuranienſem nominat, intelligens Nuram Sardiniae, cuius meminerunt geographi ueteres. Conf. de eo Halloix et Pearſonius, in Vindiciis, Iſaacus Voſſius. Interdum Egnatius appellatur, quanquam in antiquiſſimis Euſebii et Euagrii exemplaribus, et Codice Mediceo, conſtanter Ignatius ſcribitur. Liber, de Traditionibus, non extat, ut recte affirmat Cocus. Martyr factus eſt, A. CVII, in quo

quo cum Vſſerio conuenit eruditis, nec tamen omnes ita ſentiunt. Voſſius enim reiecit martyrium Ignatii, in A. CXXI. Ratio temporum non fert, ut dicamus, eum in carne uidiſſe Chriſtum.

Aliud.

Ignatius recondito pietatis ſenſu ſcripſit epiſtolas, quae etiam nunc in caetu ſacro ueneratione nem habent, et merito leguntur. Sed aliquae earum interpolatae ſunt, et ſtyli rerumque argumentis internoſci poſſunt. Editiones, Hieron. Vairlini Syluii Antuerp., 1572, edit. optima, Gr. et Lat., ex offic. Plantin., Martialis Maſtraei Pariſ., 1605, 8, Gr., Iac. Vſſerii Oxon., 1643, et 1644, 4, Lond. rec., Iſ. Voſſii, 1646, et 1648, et a Dauphino plurimi facta. Nic. Vedelii editio plane eſt inquinata, annexas habet Diſſerta[illegible] egregias, contra Pontificios.

Ignatius dixit, ſe frumentum fieri Seruatoris, et per beſtiarum dentes ſemper moli, ut mundus panis fieret Chriſti, Domini ſui. Scripſit VII epiſtolas, in quibus inter alia dicit, Vbi non eſt concordia uitae cum doctrina, ibi eſt diabolus, et iterum, Ego, ſi mihi regna et principatus offerentur, non aeſtimo illa. Nam amor meus crucifixus eſt, ſed mihi amor Chriſti crucifixi ſatis eſt. Ab A. C. LXXI, uſque CVII, ſic mea fert Chronologia, Ignatius floruit et in uiuis fuit. Eodem die, quo Ignatius martyrium ſubiit, Sturmius, collaborator Bonifacii, qui

qui German. apoſtolus appellatur, trucidatus eſt. Vid. Chron. Abbatum Fuldenſ. Fuit enim Sturmius Abbas Fuldenſis. Traianus diffidebat urbi Antiochiae, cuius turbulentum nouerat ingenium. Romam igitur accerſiuit Ignatium. Verebatur enim, ne, ſi in urbe Antiochena ſupplicio eum afficeret, ciues, amore tanti uiri, odio erga Imperatorem exardeſcerent, obſequiumque ei denegarent. Hieronymus in Catal., pulchrum de Ignatio habet teſtimonium. Voſſii editio nugis plerumque repleta eſt, eiuſque modus interpretandi, in Graecis atque Hebraicis monumentis, plerumque ex ingenio depromptus. Monſieur du Pin hat eine Bibliothec geſchrieben, darinnen ſaget er, Voſſii, edition ſey die beſte. Denn Vo us hat es nach dem MS., uuelches in caſa Medicea, oder in dem hauſe, uuelches das Mediceiſche haus genannt uuird, corrigiret, geſtalten ſich Voſſius und Gronouius zu Florenz, uuegen der unuergleichlichen Bibliothec, iahr und tag aufgehalten. In Syluii edit. iſt der ſchoenſte und uueiſeſte druck, Vedelius hat einen Cod. inquinatum gehabt, uuar Prof. Genenſis, et Reformatus, hat auch notas et iudicia annectiret, et diſputat contra Bellarminum, uuelcher kein Griechiſch uerſtanden, als uuie auch Baronius, der doch ſonſt ein andrer kerl uuar, als Bellarminus.

Beatus Rhenanus, Schleſtadienſis Alſatus, uir ingenio, literis humanioribus perapto et eleganti, praeditus. Imbecillitatem corpotis uigore animi compenſauit, totumque uitae tempus in legendis atque illuſtrandis ſcriptoribus antiquis conſumpſit. In primis Eraſmum amauit, et diligentiae laude imitatus eſt. Praeceptorem habuit Hieron.

Gebu-

Gebuuilerum, nec magis a diligentia, quam manſuetudine, commendatus, profugit a certaminibus, controuerſiaſque euitauit, et commentarios, obſeruationes atque annotationes edidit in Liuium, Tacitum, Plinium, et, quod nemo ante eum potuit, neque auſus eſt, in Tertullianum. Aliquando tamen in mendoſos Codd. incidit, neque MS. in copia inſtructus fuit, quod Rigaltius recte monuit et animaduertit. Argentorati mortuus eſt, A. CIↃ IↃ XV, aet. LXIII.

Georgius Agricola, Glaucha-Miſn., philoſophus et medicus praeſtantiſſimus, rerum naturalium, in primiſque metallicarum, inſigniter peritus, atque in hoc doctrinae genere nemini externorum ſecundus. Alter patriae ſuae Plinius, Alberto Magno maior, aliquamdiu in ualle Ioachimica ſubſtitit, Chemnitii uir conſulari dignitate fuit, et apud Duces Saxoniae gratia ualuit. Doctrina, iudicio, meritis, egregius. A. CIↃ IↃ LI, deceſſit, ritus Romani tenax. Cizae eſt ſepultus. Vid. P. Albinus, in Chronico Miſnenſi, et ſcriptorum, ab eo editorum, Catalogus.

Polydorus Virgilius, Vrbinas Italus, literis humanioribus excultus, ex patria in Angliam profectus, atque Henrico VII commendatus, ab eoque in flaminum numerum relatus eſt. Praeter libros, de Prodigio, et, de Rerum inuentoribus, ſcriptos, Hiſtoriam exarauit Anglicanam, pulchre

pulchrè ſcriptam, ſed Anglis, qui in eo fidem deſiderant, parum gratam. Cuius nomen uel ideo Anglis inuiſum eſt, quod a Pontifice ad colligendos S. Petri denarios in inſulam, fortunis florentem, miſſus eſt, Vid. Io. Balaeus, de Scriptoribus Anglicanis. Obiit, A. CIↃ IↃ LV. Quadraginta fere annos in illa beatorum inſula uixit. Ouuenus eum mendaccm uocat.

Eobanus Heſſus, patria Trago-Comenſis, Francobergae ſtudiis initiatus, poſtquam adoleuit, eruditionis augendae cauſa, Erfurtum miſſus, qua in urbe tunc doctrinae domicilium fuit. Fluctuauit diu, et, priuſquam ex poeſi artem faceret, in obſcuro delituit. Relicto itaque iuriſprudentiae et medicinae ſtudio, uerſibus faciendis operam dedit. Erfurti aliquamdiu docuit, inde Norimbergam diſceſſit, et in ludo urbis diligentiam approbauit. Poſtea reuocatus Erfordiam, priſtina docendi conſuetudine omnes ſibi deuinxit. Tandem Marpurgum accitus, atque in ſodalitatem Academicam cooptatus, et mirifice a popularibus et exteris amatus eſt, ubi poeſin et hiſtoriam interpretari coepit, et, A. CIↃ IↃ XL, deceſſit. Extant de eo egregia elogia Phil. Camerarii et aliórum.

Ioannes Oecolampadius, Vinſberga Francus, Capnionis diſcipulus, qui perinde, ac Zuinglius, a Romano coetu ſeceſſionem fecit, et, uel Capnionis,

pnionis iudicio, Graece docendi munere dignus, atque ingenuus Zuuinglii amicus fuit. Basileae sacra docuit atque emendauit. A. CIↃ IↃ XXXI, mortuus, miti et moderato ingenio omnibus suae sectae doctoribus praestitit, et, si Bezam excipio, Graecae linguae peritia omnes alios, seculo illo, uicit.

Conradus Celtes, Francus, primus poeta inter Germanos, a Maximiliano Augusto laurea decoratus. Decessit, A. CIↃ IↃ V. Et ita quidem tradit Henr. Pantaleon, sed ex diplomate Maximiliani corrigendus est, quod extat apud ipsummet Celtem, in libris, quos de Amoribus edidit. Conf. Lambecius, in Biblioth. Vindob., L. I, p. 31. Decessit, A. C. CIↃ IↃ IIX. Carmina eius pleraque edita sunt, speciatim IIII LL. Amorum. Oratio, de Situ, moribus et institutis, prodiit Norimbergae.

Biblibaldus Pirkheimerus, Noricus, patritia gente natus, studiisque deditus, et de patria bene meritus. Missione a senatu Norico impetrata, totum tempus in literis consumpsit, nec magis Norimbergae, quam Germaniae, ornamentum fuit. E uita migrauit, A. CIↃ IↃ XXX. De Vita eius commentarium edidit C. Rittershusius, ICtus Altorfensis. Opera eius in lucem emisit Melch. Goldastus Francof. ad M., 1610.

Robertus

Robertus Gagninus, iuris pontificii Canonici ſtudio totum ſe tradidit, nec tamen literas neglexit prorſus, neque a dicendi arte ſe diſiunxit. Minime autem ad dictionis Salluſtianae et Liuianae peruenit dignitatem, ut uiſum eſt Eraſmo. Hiſtoria Francorum LL. XI comprehenſa extat, cuius Appendicem fecit Hubertus Velleius. Edita eſt cum huius Supplemento, d. l., 1527.

Albertus Cranzius, patria Hamburgenſis, doctrina, iudicio et prudentia, praeſtans, Doctor theol. et iuris ſimul pontificii inſigniter peritus, atque in Academ. Roſtochienſi Profeſſor, tum in patriam accitus, et in Canonicos templi urbis primarii relatus, ac poſtea Decani nomine titulo que cohoneſtatus. Varia ac multiplici lectione rerum Germanicarum, maxime Saxonicarum et Septentrionalium, confirmatus, uſu quoque rerum et peregrinatione inſtructus, de hiſtoria gentis ſuae bene promeritus. A. CIↃ IↃ XVII, die VII Decembris, e uita exceſſit. Errant, qui Bambergenſem uocant, exteri fere omnes, nouiſſime Gallorum duumueri, Blondellus et Brutius. In eadem ſententia fuerunt Bellarminus, Chriſtianus Matthiae, Io. Gerhardus, in Patrologia, quam totam, ex Bellarmino exſcriptam, edidit filius eius, cum Manuſcriptam inueniret. Notandus eſt Boſii error in anno eius emortuali, qui eum in LX, uel LXX, ponit, quo iam Chytraeus eius hiſtoriam continuabat. Editio optima eſt VVecheliana.

Thomas

Thomas de Vio, Italus, Caietae natus, quae urbs eſt regni Neapolitani, unde nomen tulit, et ibidem Antiſtes ſacrorum fuit, in Purpuratorum collegium a Leone X cooptatus, et componendis litibus, quae, religionis cauſa, exortae fuerunt, deſtinatus atque adhibitus. Tum ab Adriano VI in Hungariam miſſus, ut conſilio et pecunia ei ſubueniret, quam Solimannus inuaſerat. Deinde a Clemente VII reuocatus in maius periculum uenit, et, capta urbe, magna pecuniae ui ex captiuitate ſe liberauit. Si uitam produxiſſet, ſedi Romanae impoſitus fuiſſet. Adeo illius prudentia a Purpuratis aeſtimata et collaudata fuit. Minus caute egit Caietanus, uir theologiae Scholaſticae, quam diuinioris, peritior, quod non euitarit diſputationem cum Luthero, qua grauitati muneris et cauſae nocebat. De ſcriptis eius legatur Sixtus Senenſis, poſt eum, Ant. Poſſeuinus, in Apparatu ſacro. Obiit, A. CIↃ IↃ XXXIIII.

Syluester de Prierio, ſiue Prierias, natione Pedemontanus, aliquamdiu S. Palatii Magiſter, poſtea Ordinis Praedicatorum, ſeu Dominic., Magiſter generalis. Scholaſticae theologiae defenſor, et Thomae Aquinatis aſſecla, Lutheri aduerſarius, in pleriſque tamen ingenuus, et libere faſſus, Romanum clerum a priſtina integritate deflexiſſe, uel, ut ipſe loquitur, a perfectione primaeua declinaſſe. Vid. Seckendorfius, in opere

re

re, ad religionis cauſam attinente. Conf. Sleidanus, Maimburgius, in Hiſtoria Lutheraniſmi.

Iac. Philippus Bergomas, ſeu aliter, I. P. Foreſtus, patria Bergomenſis, monachus Auguſtinus, hiſtoriae amans, et in ſcribendo, quod condito inde mundo exorſus eſt, Chronico ſedulus, cui titulum fecit, Supplementum Chronicorum, quod opus a labore magis, quam a ſcripturae elegantia, commendatur. Prior editio Venetiis in lucem exiit A. CIↃ CCCCXCII, inde continuatum et productum ad A. CIↃ IↃ III. Autor operis deceſſit, A. CIↃ IↃ XLIX. Secunda editio Pariſ., 1535. Opus, de claris Oratoribus, ib., 1571.

Vlricus Zuinglius, Heluetius, ex uico Pogiorum oriundus, Claronae et Tiguri docuit, et, poſt Lutherum, ad impugnandas Romani coetus corruptelas aggreſſus eſt, A. CIↃ IↃ XIX. Io. Sleidanus, in Comment., de ſtatu religionis, L. I, ſub fin. De ſacra coena non recte ſenſit, ac Berengarii ſententiam denuo tuendam ſuſcepit. Henricus Spondanus Annal. eccleſ. continuat. Tom. II, p. 333. In proelio, cui interfuit, occiſus, A. CIↃ IↃ XXXI, aet. XLVII. Vid. M. Adamus, in uita eius. Opera eius, III Tomis comprehenſa, Tiguri edita ſunt, 1581.

99 9.4667